

„cubiculis saltem duobus, granario, penuario, cæteris-
que hac in parte pro qualitate Pastoratûs, & proven-
tuum ejusdem arbitrio nostro necessariis.

X. Refert quoque Choppinus in suo *Monastico lib. 1. tit. 3. n. 24.* „Parochorum partes esse, Curioni domum, quam incolat, suppeditare, familiari utensilium instrumento munitam. Additque: Atque ita de Sacerdotium talium ædium structura pronuntiarunt Conscripti curiæ pro Claudio Verlorio Lungiumelli Vici Curione, adversus Vicarios ipsos Decreto pridie kalendas Quintiles anni 1567. „Simile Decretum sive Arrestum pro Curione contra Parochos refert *lib. 3. de Sacra Polit. tit. 3. n. 15.*

XI. Hyacinthus Boniface in sua collectione Arrestorum *tomo 3. lib. 5. tit. 14. c. 7.* primum citatis variis arrestis, & auctoribus, quibus suaderi videtur, onus extruendi domum Pastoralem Incolis sive Communitati incumbere; dein profert varia arresta quibus declaratum fuit, decimatores teneri contribuere unam *tertiam*, Incolas verò *duas tertias* pro constructione domus Pastoralis, ac signanter ita judicatum an 1672. contra Capitulum Cathedralis Aquense, condemnato Capitulo ad contribuendam *tertiam* partem pro constructione domus pastoralis.

Arrestum integrum extat apud citatum auctorem: additque, hoc arrestum ostendere, quantum ad hanc contributionem, non esse amplius faciendam distinctionem inter *primam* extruendam domus pastoralis, & diruta reedificationem; licet olim aliqua fuisset. Verba auctoris sunt: *Cela montre que quand la Jurisprudence ancienne avoit varié en la contribution pour la construction du premier logement du Curé, la Jurisprudence nouvelle avoit fixé cette contribution pour la construction première, également avec les reedifications & reparations, comme ayant meme raison en l'une & en l'autre.* Id est. Hoc probat, licet antiquum jus, quoad contributionem in pastorem ædium extruendam faciendam variè decrevisset, jus novum contributionem hanc fixisse stabiliter pro prima extruenda, æqualiter cum reedificationibus & reparationibus, utpote cum par utriusque sit causa.

XII. Fundamentum hujus Jurisprudentiæ & arrestorum videtur esse, quod domus Pastoralis sit quædam appendix Ecclesiarum; utpote quæ contigua Ecclesiæ esse conveniat. Ut proinde sicuti ex notoria Jurisprudentia Regni Galliæ, Decimatores tenentur *tertiam* partem contribuere pro reparatione Ecclesiarum; ita & eam contribuere jubeantur pro constructione domus Pastoralis, tamquam illius appendicis.

XIII. Unde citatus Hyacinthus Boniface loco citato allegans fundamenta ex parte Communitatis contra Capitulum in causa per allegatum arrestum decisâ reproducta, asserit inter alia, dictum fuisse, quod cum œconomus Capituli jam tum condemnatus fuisset ad contribuendam *tertiam* partem pro reparatione Ecclesiarum, etiam unâ condemnatus esset, ad eandem contributionem pro extruenda domus Pastoralis tamquam appendicis ipsius Ecclesiæ. Verba sunt: *A tout événement, suivant le mesme arrest, l'œconomus ayant esté condamné à contribuer pour UN TIERS à la fabrique de l'église, il l'a esté CONSEQUENTEMENT au LOGEMENT du Curé, qui est la DEPENDENCE de la fabrique de l'église.* Id est. In omnem casum, juxta idem Arrestum, Œconomus jussu contribuere *tertiam* partem imperarum fabricæ Ecclesiæ, consequenter jussus est idem pro Parochi domo præstare, quæ fabricæ Ecclesiæ annexa est & ab ea dependet.

XIV. Hoc posito principio, quod domus Pastoralis sit quædam appendix ipsius Ecclesiæ; ac propterea cessante speciali locorum consuetudine, aut concordato vel lege, debeat iis legibus regi hæc constructio vel po-

tius restauratio domus Pastoralis, quibus ipsa Ecclesiæ reparatio, faciliè intelligi poterit ex iis quæ *tit. 16. cap. 5.* dicta sunt, quomodo hic in Belgio, præveniendos speciales locorum consuetudines & concordata aut conventiones, Decimatores ad restauracionem domus Pastoralis concurrere debeant.

XV. Per Regulamentum Regium probatum in Concilio privato Bruxellis, pro omnibus civitatibus non muratis & Parochiis ruralibus totius Provinciæ Flandriæ emissum 30. Julii 1672. *art. 48.* „Veritum est, dare ad onus Parochiæ seu Communitatis ullam mercedem conductionis, aut domicilium Pastori; aut facere ullam reparationem circa domum pastorem, aut Ecclesiarum; utpote spectantia ad onus Decimatorum aut pastorum, juxta modificationem (ait) factam per nostra Edicta.

XVI. Itaque juxta hoc Edictum parochiani seu Communitatis eximi videntur ab onere extruendi & reparandi domum Pastoralem.

XVII. Notari meretur, reparationem domus Pastoralis & reparationem Ecclesiæ in hoc articulo conjungimur sub uno verborum contextu ipsam communitatem ab utriusque onere exemplam declarari.

XVIII. Hinc non obscure colligitur, Regios Ministros hujus Edicti auctores, reparationem domus censuisse iisdem legibus regendam, quibus reparatio Ecclesiæ. Quod & inde colligitur, quod remittat ad modificationem expressam in *anterioribus* Edictis; quæ alia esse non videntur, quam illa quæ determinant, quomodo decimæ in Ecclesiæ reparationem impendendæ sint nam specialia Edicta moderationem aliquam continentia, quæ decimæ in reparationem aut ædificationem domus Pastoralis veniant impendendæ hætenus edita nesciuntur.

XIX. Et sanè cum juxta Edicta nostratia de quibus *titulo 16. cap. 5.* in reparationem Ecclesiarum venire debeat per sex annos decimarum; sive spatio sex annorum integræ decimæ duorum annorum, non dubium, quin si eo modo ad reparationem & extruendam domus Pastoralis concurrere debeant; meritò dictum esse in præfato articulo, onus reparandi & extruendi domum pastorem ad Decimatores spectare; quia non faciliè expensæ reparationis aut etiam constructionis excedent valorem *integrarum decimarum duorum annorum.*

XX. Quidquid sit, illud imprimis indubitatum est in hac materia esse set vandam consuetudinem singulorum locorum, item concordata; & post hæc generales leges provinciæ. His autem deficientibus, sæ æquum apparet, ut ea ratio servetur circa reparationem domus, quæ præferitur circa reparationem Ecclesiæ; cujus ipsa domus Pastoralis quædam appendix videtur.

XXI. Præterea & illud expeditum est, ad quemcumque onus restaurandi aut extruendi domum pertineat; hujusmodi domum esse extruendam, quæ ipsi parochi & Presbyteris ad curam animarum necessariis honestè & decenter sufficiat, quæ sufficientia & decencia ex variis locorum, temporum, Pastoratum aliisque circumstantiis arbitrio judicis determinanda est, quemadmodum de ipsa congrua portione supra *cap. 2.* dictum est: citatumque Statutum Archidiaconatus Hasbania nominatim expressit.

XXII. Similiter & hoc indubitatum, quod licet extructio domus Pastoralis non soleat sub taxata portione congrua contineri, nihilominus, eam eatenus partem portionis congruæ dici debere, quatenus non minus, quam alimenta aliave corporis subsidia, est necessaria ad Parochi sustentationem, quin & sub alimentis necessariis comprehenditur, ut supra dictum est.

Hinc in hac causa extruendi domus Pastoralis, non secus ac in causa portionis congruæ & alimentorum,

rum, summarie per provisionem est procedendum: ne aliàs ob longiores litium & disceptationum moras Parochus necessaria habitatione careat.

Unde in allegato Statuto Archidiaconatus Hasbania decernitur: „Quoties nullâ Pastoris culpâ, casu vel fortuito, aut militari hostilive insolentia domum sic destrui, aut labefactam contigerit, declaramus, Parochianos ad reparationem, saltem *provisionaliter*, teneri, salvo sibi semper contra noxios, & eos qui damnosam causam dederint, regestulo.

XXIII. In Declaratione quoque Regis Galliæ de anno 1661. hic modus procedendi summarie & *provisionaliter* decernitur; & latius exprimitur in arresto interpretativo sive declaratorio istius declarationis.

Hoc Arresto imprimis decernitur, ut juxta *articulum 5. 2.* Edicti Blefensis, & *art. 2.* Edicti Melunensis, & declarationem de anno 1661. Archiepiscopi & Episcopi visitantes suas Dioceses curabunt, ut Parochus quomodo de habitatione sit provisum: in junctumque Officiariis, ut exequi faciant, quod hunc in finem per Archiepiscopos aut Episcopos ordinatum fuerit; idque per arrestationem ad hunc effectum, Et in casum contestationis, quantum ad domicilium Parochi, in officariis locorum, ut *sine mora* convocent incolas loci ad concludendum & determinandum, quam partem singuli contribuere tenebuntur. Et quousque domus fuerit extructa, levare poterunt pro rata, quam singuli solent contribuere in oneribus publicis seu *callis*, summam 40. librarum Gallicarum, si opus sit, *annuè*, pro conductione domus in qua interim ipse Parochus habitare possit. Verba Arresti de 14. Martii 1673. sunt: *Et à l'égard de celles concernant les logements des Curez, enjoint aux Officiers des lieux de faire assembler incessamment les Habitans pour y pourvoir, & regler quelle part chacun d'eux sera tenu de contribuer. Et en attendant que lesdits logements soient en état d'estre habitez, faire lever sans frais sur toute la communauté, & à proportion de ce que chaque habitant paye de taille, jusques à la somme de quarante livres, si besom est, par an, pour le loage d'une maison où le Cure puisse demeurer.* Id est. Quoad ea quæ Parochorum domos concernunt, Officialibus locorum injungitur, ut indilate incolas convocent, quo rei huic provideatur & deterrminetur, quota pars à singulis pro vir contribuentia, interim donec dispositæ erunt prædictæ ædes ut incolantur per totam Communitatem sine sumptu collecta fiat; servata proportione illius quod quilibet incola pro vestigialibus pendit, usque ad summam 40. librarum annuè, si opus est, in conductionem domus in qua Parochus habitet, donec & usque prædictæ ædes poterunt inhabitari. Integrum arrestum pronuntiatum 14. Martii 1673. habetur apud Michaellem Du Perray in suo tractatu *De Portione congrua* ad calcem *c. 28.*

XXIV. Domo Pastoralis extructa in usum Parochi, cum Parochus eam inhabitet; eaque quasi usufructuarius utatur ad suam commoditatem; etiam ipsam domum sartam & rectam conservare & reparationes necessarias facere tenetur ad instar usufructuarii.

De hac reparatione ita loquitur Synodus P. II. Cameracensis *tit. 19. c. 4.* „In omnibus locis ubi domus Parochiales non sunt, vel temporum injuria collapsum sunt, provideat Pastor cum suis Parochianis, ut quanto citius fieri poterit, aliqua domus, ipsique Ecclesiæ propinquas, & in fundo Pastoratus, si quis sit, ædificentur quam, ubi ædificata erit, ipse Pastor juxta suum juramentum *sartam rectam* conservare debeat.

Hic per transennam notandum, quod & Synodus indicatè videatur, onus ædificandi aut restaurandi domum ad Parochianos spectare.

De reparatione domuum Pastoralium à Parochis faciendâ hæc habet Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 22. c.*

7. „Pastores & quicumque alii Beneficiati, domos beneficiorum suorum *integras* confervent: ac *debitè* reparent, nisi reparationes earumdem ab aliis fieri debeant, te certo constet.

Reparationes quæ Parochis penè ubique incumbunt intelliguntur de reparationibus minoribus; quæque circa domos etiam sat firmas quotidie faciendæ occurrunt, ut sartæ rectæ conservari queant: non autem de majoribus & extraordinariis reparationibus; ut puta restauratione tecti, quod vetustate aut tempestate corrumpitur, vel incendio consumptum est; quemadmodum usufructuarius, si qua vetustate corrumpitur *resicere non cogitur*, uti scribit Ulpianus in *L. 7. §. 2. ff. De usufructu*. Et hæc est communis praxis Belgii. ut Pastores ad minores & ordinarias reparationes, Decimatores, vel Parochiani ad majores & extraordinarias teneantur.

XXV. Ut autem reparatio suo tempore & tempestivè fiat; & ne defectu factæ reparationis paulatim domus totaliter corrumpatur, decernit Synodus Mechliniensis loco citato: „Archipresbyteri, ubi ipsis id juris ex consuetudine competit, illas (domos Pastorum & Beneficiorum) singulis annis serio visitent; & quando eas reparatione indigere advertent, eam mox fieri mandent & non obedientes denuntientur Episcopo, vel ejus Vicario generali, ut ad debitas reparationes faciendas, prout juris & rationis fuerit, compellantur, & pro præterita negligentia etiam puniantur. *Tit. 22. c. 7.*

XXVI. Quia Incolæ sive Parochiani multis in locis, ac nominatim in Diocesi Leodiensi ad ædificandam & restaurandam domum Pastoralem obligantur, etiam & ipsi meritò solliciti sunt, ut reparationes necessariae tempestivè & suo tempore fiant.

Hinc Statutum Archidiaconatus Hasbania postquam declaravit Parochianos ad procurandam domum pastoralem teneri, tamquam consequens subjicit: „Qui quidem Parochiani poterunt toties quoties ex evidente aliqua justa causa necessarium erit, domum pastoralem (suis tamen impensis) visitare, procurare, ve ut domus per Justitarios, adhibitis etiam expertis, visitetur, ut exinde competiti defectus, autoritate nostrâ reparentur.

Quod hic Parochianis permittitur, id eodem fundamento permittitur Decimatoribus, ubi onus procurandi domum pastoralem ipsis incumbit.

XXVII. Addit præterea hoc statutum Archidiaconale: „Statuimus autem & ordinamus, quod si ædes hujusmodi pastorales defuncti Pastoris negligentia destructæ, seu labefactæ compertantur, hoc totum expensis hæredum, & hæreditatis restitui debere: Ita tamen, quod infra annum ab obitu Pastoris per Justitarios loci (quos ad hoc tenore præsentium deputamus), fiat domus visitatio, quando videlicet prævia Reverendissimi Episcopi licentia Pastor fuerit testatus; Quod si intestatus decesserit fiet visitatio mox à sepultura defuncti, vel saltem antequam ipsius bona per Officiatos ejusdem Reverendissimi præhendantur; Alioquin Parochiani in querela non audiuntur.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 22. c. 7.* ait: „Si verò ad hujusmodi reparationes obligatos, iis necdum perfectis, ex hac vita migraverint, vel Beneficia sua resignare contigerit; bona domorum mortuorum, eorumque qui Beneficia sua dimiserunt, arrestentur, & a restata maneat, donec ea perfectæ fuerint.

XXVIII. Dicit quidem domum pastoralem honestæ & decenti habitationi Pastoris esse convenientem; at id summo pete cavendum Pastoribus, ne in suarum domorum extruendone aut ornatu, vel suppellectile ipsam pompam fastumque seculi quærant; populoque

loque vel hinc suo exemplo seculi pompas & factum se-
standum doceant: persuadentque populo, quod in mi-
liria Christi plus querant lucra & gloriam seculi, quam
paupertatem Christi; præsertim si populo innotescat,
quod hæc non è patrimonio, sed solis proventibus Ec-

clesiasticis habeantur: quodque parentes humili domo,
& tenui suppellectile tamquam homines tenuis aut me-
diocri conditionis, contenti fuerint. Videri possunt
quæ supra tit. 32. cap. 4. dicta
fuerunt.

TITULUS XXXV.

De Immunitate bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

Quam immunitatem jam pridem dederint
Imperatores.

1. Immunitas à tributis data Ecclesiis à Constantino.
2. Immunitas à muneribus publicis indulta à Constantino.
3. Hæc immunitas rursus ab eodem Imperatore renouata.
4. Eorum studium Constantini ut hanc immunitatem Clericis asserat & quæ ejus ratio.
5. Ratio indulte immunitatis merito à Clericis notatur.
6. Ex ratione evincitur, eam esse immunitatem personalem.
7. Hæc prima Clericis indulta immunitas, & magis conveniens.
8. Immunitas à susceptione militum; & à vectigalibus pensandis ratione negotiationis; & quæ hujus ratio.
9. Quare aliquando Clericis indultum negotiari; & postea vetitum.
10. Immunitas à sordidis muneribus & Parangariis.
11. Quid sint Parangaria.
12. Quid intelligatur per sordida munera?
13. Privata Clericorum Patrimonia ordinariis tributis erant obnoxia.
14. Hanc limitationem probarunt Episcopi.
15. Terras Clericorum tributis fuisse obnoxias fatetur S. Ambrosius.
16. Sola Clerici nullum possidentes patrimonium erant immunes.
17. Omnes Ecclesie exceptis 4. majoribus erant tributis obnoxie regnante Theodosio juniore.
18. Neque sub Justiniano Imp. erant ab his immunes.
19. Officinas Clericorum à tributis non exemta.
20. Clodoveus Rex Gallie agris Ecclesie immunitatem indulsit.
21. Ludovicus Pius immunitate donavit Mansum Ecclesie.
22. Mansus Ecclesie dicebatur ipsa dos Ecclesie.
23. Continebat ordinariè 12 Bunnaria terra arabilis.
24. Capitulare Caroli Calvi de immunitate hujus Mansi.
25. Non tantum Ecclesie Parochialibus: sed & Monasteriis & Ecclesiis Cathedralibus hæc immunitas competebat.
26. Aliqui eam immunitatem contra mentem Imperatorum nimis restringebant.
27. Eorum restrictio rejicitur.
28. Immunitas ad omnes fundos Ecclesie extenditur.
29. Cur exciperetur constructio viarum & pontium.
30. Terra de novo ab Ecclesia acquisita non gaudebant immunitate si ante fuissent obnoxia.
31. Gaudebant si ante fuissent libera.

Ubi nomine Constantini Magni, qui pri-
mus inter Imperatores publicè Chri-
stianam Religionem professus est, extat
de immunitate Ecclesiarum egregia lex
in Codice Theodosiano Lib. II. tit. I.

Lege I. "Præter privatas res nostras, & Ecclesias Ca-
tholicas, nemo ex nostra jussione præcipuis emolu-
mentis familiaris juvetur substantiæ, &c. omnes pen-
sitate debebunt.

Hic Ecclesias Catholicas generaliter à rei tributariæ
contributione eximit, fat clarum; fateturque ipse Jaco-
bus Gothofredus; quam vis tredit eam postmodum per
sequentes Imperatores revocatam aut saltem tempera-
tam esse; de quo infra

II. Extat apud Eusebium lib. 10. Hist. cap. 7. ejus-
dem Constantini Epistola ad Anulinum Africa Præ-
fectum, quæ Clericos immunes à publicis functionibus
esse mandat: "Eos homines (ait) qui intra Provinciam
tibi creditam in Ecclesia Catholica cni Cæcilianus
præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos
Clericos vocare consueverunt; ab omnibus omnino
publicis functionibus immunes volumus conservari;
ne errore aliquo aut casu sacrilego à cultu summæ
Divinitati debito abstrahantur; sed ut potius absque
ulla inquietudine propriæ legi deserviant. Quippe his
summam venerationem divino Numini exhibenti-
bus, maximum inde emolumentum Reipublicæ vide-
tur accedere.

Refert S. Augustinus Epist. 86. ult. edit. responsum
Anulini ad Imperatorem Constantinum, in quo hoc
privilegium immunitatis expressum est his verbis:
"Cum ab omni omnino munere indulgentia Majesta-
tis vestræ liberati videantur esse Catholici, custodi-
tâ sanctitate legis, debitâ reverentiâ divinæ legi infer-
viant.

III. Verum hæc immunitas, quæ hic à Constantino
indulta asseritur, est immunitas merè personalis sive à
muneribus & functionibus personalibus; de qua extat
& alia ejusdem Imperatoris sanctio in L. 2. Cod. Theod.
De Episcopis & Clericis: "Qui divino cultui ministeria
religionis impendunt (id est, hi qui Clerici appellan-
tur) ab omnibus omnino muneribus excusentur: Ne
sacrilego livore quorundam à divinis obsequiis avo-
centur.

Notat Jacobus Gothofredus, hanc legem esse omni-
nò diversam ab ea de qua ipse Constantinus in citata
Epistola ad Anulinum; ut & ab ea quæ refertur in L. 4. &
7. eodem titulo in Codice Theodosiano.

IV. Ex his autem toties iteratis legibus, liquet, quam
enixo Constantini studio opus fuerit, (ait Gothofre-
dus) ad firmandam semel hanc Clericorum Catholicæ
Ecclesie immunitatem à muneribus civilibus: quæ ta-
men hæc æquissima ratione, quæ hic expressè reddi-
tur, nixa erat: Ne, scilicet, Clerici à divinis
obsequiis avocentur. Quæ eadem ratio à Justiniano in
L. 51. Cod. De Episcopis & Clericis, ubi immunita-
tem à tutelis Clericis indulget; uti notavimus parte I.
tit. 2. cap. 6. num. 5.

V. Hic notent Clerici, non alia de causâ à muneribus
publicis sibi immunitatem concessam, nisi ut Di-
vinis Officiis sine impedimento vacare queant: quo
momentur, juxta vocationem suam sedulo iis incum-
bere.

VI. Interim ex allegata ratione hujus immunitatis
rectè

rectè colligit citatus Gothofredus, immunitatem mune-
rum personalium hic intelligi, non verò immunitatem
patrimonialium.

VII. Hæc quidem immunitas personalis, tamquam
ipsis Clericis magis conveniens & necessaria, ne à suis
officiis avocarentur, prima est, quæ Clericis tributa fuit;
uti ad L. 8. Cod. Theod. De Episcopis & Clericis, nota-
vit Gothofredus; cui postmodum aliæ successerunt quæ
in legibus subsequentium Imperatorum continentur;
& magis onera realia, quàm personalia concernunt:
idedque immunitates non tam personales, quàm reales
sunt; atque de his hoc titulo potissimum agitur.

VIII. Et quidem sub nomine Constantii Constanti-
ni Filii extat Constitutio in citata lege 8. quo Clericis
concedit immunitatem à militum transeuntium hospiti-
oitem à vectigalibus pendendis ratione tenuis mer-
curatur. Verba legis sunt: "Præterea neque hospites susci-
pienti. Et si qui de vobis alimonia causâ negotiatio-
nem exercere volunt, immunitate potientur.

IX. Non mirum hic Clericis negotiationem exer-
centibus immunitatem indultam. Cum enim in ipsis
Ecclesie exordii nondum eæ essent Ecclesie divitiæ ut
omnibus Clericis ad Divinum cultum necessariis suffi-
cerent, oportuit quosdam Clericos alimonia causâ ne-
gotiationem aliquam modestam exercere, ne cuiquam
graves essent sicuti & quosdam honesto aliquo officio
victum sibi comparare, etiam sacris Canonibus pro-
bantibus, compertum est. Sed cum avaritia multorum
hæc facultate negotiandi abuteretur, merito Clericis
postmodum interdicta fuit; & Clerici Negotiatores à
Partibus severè reprehensi, ut infra videbitur.

X. Extat Constitutio sub nomine Constantii &
Constantis filiorum Constantini Magni in L. 10. Cod.
Theod. De Episcopis & Clericis: quæ omnibus Clericis
concedit immunitatem à sordidis muneribus. Verba sunt:
Repellaturque ab his (Clericis) exactio munerum sordi-
dorum Quæ sunt hæc sordida munera, mox dicetur.

Insuper concedit Clericis immunitatem generalem
de qualibet negotiatione, notandâ ratione adjunctâ;
verba sunt: Negotiatorum dispendis minime obligentur,
cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculis (for-
san legendum tabernaculis) atque ergastariis (id est locis merci-
monii deputatis) colligunt, pauperibus profuturos.

Tertia immunitas conceditur à Parangariis his ver-
bis expressa: Parangariarum quoque parili modo cesset
exactio.

De Parangariis extat titulus in Codice Theodosiano
libro 8. De Cursu publico, angariis & parangariis in Cod.
Just. lib. 12. tit. 51.

XI. Angariæ & Parangariæ erant, jumentorum &
plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ
militaris, aliarumque specierum Fiscalium. Diceban-
tur autem Angariæ, si per viam rectam, ordinariam &
Regiam faciendæ erant transvectiones. Parangariæ au-
tem, quando viâ transversâ extra viam Regiam, ubi cur-
sus publicus dispositus non erat. Vide notas Jacobi Go-
thofredi ad L. 4. & 15. Cod. Theod. De Cursu pu-
blico.

XII. Sordida munera de quibus in citata lege, etiam
vocabantur munera extraordinaria; unde est titulus in
Codice Theodosiano, De extraordinariis & sordidis
muneribus.

Inter hæc sordida & extraordinaria munera erant
etiam refectio viarum, instauratio pontium, & subjectio
annonæ militaris; quemadmodum videre est in L. 40.
Cod. Theod. De Episcopis & Clericis; quæ est Honorii Imp-
ubi species nonnullæ munerum sordidorum exprimum-
tur, à quibus Clericos immunes declarat, addita hac
generali clausula: "Nihil præter Canonicam inclina-
tionem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repenti-
na depopulcerit ejus functionibus adscribatur. "Re-

ferret hæc eadem constitutio, licet non nihil mutilata in
L. 5. Cod. Justin. De SS. Ecclesiis.

XIII. Hæc quidem quoad immunitatem à sordidis
& extraordinariis muneribus sive impositionibus, at
ab ordinariis tributis patrimonia Clericorum exempta
fuisse non constat: imò isdem fuisse subjecta non obcu-
rè declaravit Constantius Imperator in L. 15. Cod.
Theod. De Episcopis & Clericis. Verba legis sunt: "De his
sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auctori-
tas tua, non solum eos aliena juga nequaquam statuer
excutare, sed etiam his (in Codice Justinianæ legi-
tur pro his) quæ ipsi possident, eosdem ad pensanda
fiscalia perurgeri. "Extant hæc verba in L. 3. Cod. Ju-
stin. De Episcopis & Clericis.

XIV. Notatu dignum est, quod in ipsa Constitutio-
ne, prout extat in Codice Theodosiano, dicatur, æquum
visum fuisse Episcopis hoc Imperatoris Decretum,
Maximè (ait) cum in Comitatu Tranquillitatis no-
stræ alii quoque, qui ex Hispania, atque Africa con-
venerunt, probaverunt, id maximè justè (sive potius
justitia) convenire, ut præterea (legendum præterea)
juga & professionem (id est, rem professam apud cer-
sum) quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia
sustinenda translationeque faciendas omnes Clerici
debeant adineri.

XV. Et revera prædia Clericorum tributis & vecti-
galibus fuisse subjecta tempore etiam S. Ambrosii, ipse
variis locis fatetur: "Si tributum perit (Imperator) non
negamus, Agri Ecclesie solvunt tributum. Si agros
postmodum interdicta fuit; & Clerici Negotiatores à
Partibus severè reprehensi, ut infra videbitur.

X. Extat Constitutio sub nomine Constantii &
Constantis filiorum Constantini Magni in L. 10. Cod.
Theod. De Episcopis & Clericis: quæ omnibus Clericis
concedit immunitatem à sordidis muneribus. Verba sunt:
Repellaturque ab his (Clericis) exactio munerum sordi-
dorum Quæ sunt hæc sordida munera, mox dicetur.

Insuper concedit Clericis immunitatem generalem
de qualibet negotiatione, notandâ ratione adjunctâ;
verba sunt: Negotiatorum dispendis minime obligentur,
cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculis (for-
san legendum tabernaculis) atque ergastariis (id est locis merci-
monii deputatis) colligunt, pauperibus profuturos.

Tertia immunitas conceditur à Parangariis his ver-
bis expressa: Parangariarum quoque parili modo cesset
exactio.

De Parangariis extat titulus in Codice Theodosiano
libro 8. De Cursu publico, angariis & parangariis in Cod.
Just. lib. 12. tit. 51.

XI. Angariæ & Parangariæ erant, jumentorum &
plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ
militaris, aliarumque specierum Fiscalium. Diceban-
tur autem Angariæ, si per viam rectam, ordinariam &
Regiam faciendæ erant transvectiones. Parangariæ au-
tem, quando viâ transversâ extra viam Regiam, ubi cur-
sus publicus dispositus non erat. Vide notas Jacobi Go-
thofredi ad L. 4. & 15. Cod. Theod. De Cursu pu-
blico.

XII. Sordida munera de quibus in citata lege, etiam
vocabantur munera extraordinaria; unde est titulus in
Codice Theodosiano, De extraordinariis & sordidis
muneribus.

Inter hæc sordida & extraordinaria munera erant
etiam refectio viarum, instauratio pontium, & subjectio
annonæ militaris; quemadmodum videre est in L. 40.
Cod. Theod. De Episcopis & Clericis; quæ est Honorii Imp-
ubi species nonnullæ munerum sordidorum exprimum-
tur, à quibus Clericos immunes declarat, addita hac
generali clausula: "Nihil præter Canonicam inclina-
tionem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repenti-
na depopulcerit ejus functionibus adscribatur. "Re-

ferret hæc eadem constitutio, licet non nihil mutilata in
L. 5. Cod. Justin. De SS. Ecclesiis.

XIII. Hæc quidem quoad immunitatem à sordidis
& extraordinariis muneribus sive impositionibus, at
ab ordinariis tributis patrimonia Clericorum exempta
fuisse non constat: imò isdem fuisse subjecta non obcu-
rè declaravit Constantius Imperator in L. 15. Cod.
Theod. De Episcopis & Clericis. Verba legis sunt: "De his
sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auctori-
tas tua, non solum eos aliena juga nequaquam statuer
excutare, sed etiam his (in Codice Justinianæ legi-
tur pro his) quæ ipsi possident, eosdem ad pensanda
fiscalia perurgeri. "Extant hæc verba in L. 3. Cod. Ju-
stin. De Episcopis & Clericis.

XIV. Notatu dignum est, quod in ipsa Constitutio-
ne, prout extat in Codice Theodosiano, dicatur, æquum
visum fuisse Episcopis hoc Imperatoris Decretum,
Maximè (ait) cum in Comitatu Tranquillitatis no-
stræ alii quoque, qui ex Hispania, atque Africa con-
venerunt, probaverunt, id maximè justè (sive potius
justitia) convenire, ut præterea (legendum præterea)
juga & professionem (id est, rem professam apud cer-
sum) quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia
sustinenda translationeque faciendas omnes Clerici
debeant adineri.

XV. Et revera prædia Clericorum tributis & vecti-
galibus fuisse subjecta tempore etiam S. Ambrosii, ipse
variis locis fatetur: "Si tributum perit (Imperator) non
negamus, Agri Ecclesie solvunt tributum. Si agros
postmodum interdicta fuit; & Clerici Negotiatores à
Partibus severè reprehensi, ut infra videbitur.